

Miscellanea

Praemonstratenses in dioecesi Antverpiensi, saeculo decimo octavo.

Anno 1559 erecta fuit a S. P. Paulo IV, dioecesis Antverpiensis ; quae abrogata fuit anno 1801, occasione novi conventus cum gubernio gallico. Inde ab anno 1585 praescripta fuit a S. Sede visitatio ad limina ex parte Episcoporum, et quidem pro regionibus belgicis, singulis quadrienniis. Cum vero, ob varias rationes, non raro iter in civitatem Romanam impossibile esset, relationes scriptae de statu dioecesis stricte exigebantur. Porro plures harum relationum ab Episcopis Antverpiensibus Romam transmissarum adhuc existunt. Ita decem relationes episcopales saeculi decimi octavi servantur.

R. D. Dr. C. DE CLERCQ satis fuse de relationibus illis episcopalibus tractat in *Taxandria*, n. s., XVIII, 1952, 115-123, sub titulo : *De achttiende-eeuwse verslagen der Antwerpse bisschoppen aan de H. Stoel over de staat van hun bisdom*.

In iis expositionibus Episcoporum status monasteriorum etiam tangitur. Porro in dioecesi Antverpiensi sitae erant abbatia S. Michaelis Antverpiensis sicuti et asceteria Horti Conclusi in Herentals et S. Sacramenti in civitate Antverpiensi. Agunt episcopi tum de vita regulari religiosorum tum de jurisdictione quam in domos illas sese habere autumabant. Haec in nostro periodico referre placet.

* * *

Anno 1704, episcopus COOLS, O. P., relationem suam Romam misit.

Legimus ibidem : « Sunt et huius Civitatis varia Monasteria, quorum praecipuum est Abbatia Sancti Michaelis, Ordinis Praemonstratensis, aliquot sibi incorporatas habens Curas pastorales ». — « Alia sunt monasteria Ordinis Regularium... ; tertium Ordinis Sancti Norberti ex Oisterhout quod subest Abbati Sancti Michaelis ».

Pro districtu Herendaliensi haec notantur : « Monialium Monasteria sunt Hortus conclusus Beatae Mariae Ordinis Praemonstratensis sub superioribus eiusdem Ordinis, in quo Religiosae exactam disciplinam et clausuram servant ».

Annis 1722, 1731, 1736, mittuntur relationes ab episcopis DE FRANCKEN-SIERSHOFF et D'ESPINOSA. Hae duae relationes, paucis numeris omissis, prorsus idem dicunt. En, quae de Praemonstratensibus, ab episcopo anno 1722 communicantur :

« Duae sunt in praedicta Civitate (Antverpiensi) Abbatiae, celebris una sub invocatione S. Michaelis Ordinis Praemonstratensium, altera Cisterciensium dicta S. Salvatoris sed minus praeclara. — Exemptarum (conventus) sunt octo : 5. Norbertiae (sic) ». « Herendalium : ... recensentur tres virginum videlicet : Hortus conclusus nuncupatus, Ord. S. Norberti... ».

Annis 1753 et 1757, Romam transmittuntur relationes ab episcopo GENTIS.

Agit episcopus iste, inter alia, de dotatione mensae episcopalis. Scribitque in relatione anni 1753 : « Additum est augmentum dotis ad valorem millium ducatorum auri de Camera ex mensis abbatialibus S. Michaelis Antwerpiensibus Ord. Praemonstratensis et S. Mariae Villariensis Ord. Cisterciensis ».

Relate ad monasteria Antverpiensia, haec notat : « In Civitate Antverpiensi sunt sequentia monasteria, seu domus virorum Religiosorum. 1^{um} est Monasterium S. Michaelis Ord. Praemonstratensis, quod habet suum proprium Abbatem, et valde bene fundatum est ». Inter Religiosarum virginum exemptarum Monasteria, « 3^{um} est Norbertinarum quae subsunt Abbati S. Michaelis ».

Pro districtu Herendaliensi, dicitur sub numero 44 : « Insuper ibidem reperiuntur praeter Hospitalistas jurisdictioni Ordinarii subjectas, Moniales Ord. S. Norberti, quae subsunt directioni Superiorum ejusdem Ordinis ».

Idem Episcopus Gentis plura refert de ratione vivendi regulari Religiosorum. Plenam laudem merentur religiosi illi ; disputatio quaedam canonica existit, quoad jurisdictionem religiosorum relate ad religiosas. En textus Episcopi : « Regulares curam animarum exercentes, qui Episcopali jurisdictioni visitationi et correctioni subsunt in iis, quae ad curam et administrationem sacramentorum pertinent, munus sibi commissum fideliter adimplent, juxta ea quae in praecedenti capite de Parochis dicta sunt. Nullus Regularis meae Dioecesis extra Monasterium degit, exceptis illis, qui curae Pastoralis

applicati sunt. Nullos habeo Regulares a suis superioribus ejectos, aut extra Monasterium notorie delinquentes. Nullum habeo in dioecesi mea Monasterium, quod non alat Religiosos in numero a constitutionibus praefixo. Nullum habeo cum Regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem Episcopis tributa est a S. Conc. Trid., vel a Summorum Pontificum Constitutionibus, nisi quod Bulla Gregorii XIV quae incipit *Inscrutabili* (est error ex parte Episcopi ; bulla ista enim a S. Pont. Gregorii XV edita est die 5 Februarii 1622) non observatur, si quidem superiores Regulares exponunt suos Religiosos pro audientia confessionum Monialium sibi subditarum sine ulla approbatione aut licentia Episcopi, fundantque se in eo, quod dicta Bulla *Inscrutabili* hisce in partibus non sit promulgata aut recepta. Et si ego Regulares vellem in hac consuetudine turbare, subito mihi gravissimam intentarent litem in Consilio Brabantiae, in quo sine dubio condemnarer ».

Quoad Moniales dioecesis haec notat Episcopus : « Monasteria Monialium Regularibus subjecta clausuram exacte observant ad normam statutorum suorum. Harum monialium confessarii regulares non approbantur ab Episcopo, uti jam supra dictum est ».

Anno 1757, iterum Episcopus Gentis relationem Romam misit.

Sermo est in hac relatione de lite quadam cum abbazia S. Michaelis Antverpiensis. Scribit Episcopus : « Adversus Regulares, contentiones non movi Laicos apud Magistratus : verum quidem est, quod habuerim litem contra Monasteria Sti Michaelis intra Antverpiam Ord. Praemonstratensis, et Stae Mariae Villariensis Ord. Cisterciensis. Sed haec lis tangebatur mille ducatos auri de Camera, quos ista duo monasteria debebant annue solvere mensae episcopali Antverpiensi in dotem juxta Bullam erectionis Episcopatus. Primi antecessores mei contenti fuere solutione duorum milium florenorum brabantiorum, cum tunc temporis Ducatus auri de Camera non valeret plus quam duobus florenis, qui tamen ex post et nunc valet sex florenis : volebam proinde habere solutionem istorum mille ducatorum juxta valorem currentem, quod et praetendit unus alterve ex meis praedecessoribus, qui jam desuper instituerunt litem apud Consilium Brabantiae ; sed morte interveniente finire non potuerunt. Ulterius ubicumque agitur de pecunia, bonisque temporalibus, imo de possessione in rebus ecclesiasticis, dictum Consilium semper vult fungi officio judicis ».

Redit etiam Episcopus ad quaestionem de licentia concedenda

confessariis Monialium. Notat : « Si ego urgere vellem confessarios Monialium Regularibus subjectarum, ut se, antequam istarum confessiones audirent, sisterent examini Episcopali, quemadmodum exigunt Summi Pontifices Urbanus VIII et Gregorius XV, omnes Regulares contra me assurgerent et murmurarent, imo litem intarent apud supradictum Consilium Brabantiae ex capite consuetudinis et non receptionis istarum Bullarum in hac patria ».

In relationibus annorum 1765 et 1769 ab Episcopo VAN GAMEREN Romam transmissis, nihil speciale de Ordine nostro occurrit.

Episcopus NELIS annis 1786 et 1797 relationes status suae dioecesis confecit. Relatio anni 1786 revera optime confecta dici debet. Nomine Episcopi, relatio ista S. Sedi transmissa fuit ab Aegidio De Smet, Procuratore Ordinis nostri Romae.

Relatio anni 1786 primo agit de dotatione mensae episcopalis. Notat Episcopus ducatos aureos quingentos ad hoc solvendos esse ab abbatibus Villariensi et S. Michaelis. — Postea sermo est sub numero VIII de Monasteriis. Scribitque : « Et primo recensenda est Abbatia S. Michaelis, Ord. Praemonstratensis. Praeest illi infulatus Abbas, Ordinum Brabantiae hoc nomine Assessor. Diem ille extremum clausit a paucis mensibus (agitur de Abbate Rosa, defuncto die 26 Sept. 1786) et, si fides publicis rumoribus, incertum plane num ille, alique per Belgium demortui Abbates et Abbatissae, successores ex eadem familia habituri sint ; vel potius, ex designatione Regia, Oeconomus. Certe res ista Religiosorum familias valde sollicitas habet, immo Patriam universam ». Inter Monasteria Virginum, nominatur Asceterium « Norbertinarum, quae sub jurisdictione Abbatis S. Michaelis ». Agendo postea de districtu Herendaliensi, memoratur monasterium faeminarum « Praemonstratensium, quae sub jurisdictione Praepositi sui, Tungerloensis Abbatiae alumni, sed ex quo Praepositus esse incipit, ab Abbatis sui imperio exempti ».

In praesenti relatione anni 1786, agit insuper Episcopus Nelis de districtu Bredano. Scribitque : « In eadem Bredana Provincia, in vico Oosterhout existit etiamnum Monasterium Religiosarum Virginum, Ord. Praemonstratensis, Vallis S. Catharinae nuncupatum, quod Patrocinio Principum Austriacorum (loco : Auriacorum : Orange) (a quibus fundatum fuit), servatum est. Moniales suum sibi Praepositum eligunt, ex Ordine Praemonstratensi ; et eidem, cui Praepositus, Abbati subsunt. Omnes candidis Ordinis sui vestibus utuntur, domi scilicet, quae oclusae, nunquam egrediuntur ».

In capite quarto suae expositionis, agit in specie Episcopus de

Clero regulari suae dioeceseos. En, quae notat de eorum cura animarum et eorum commoratione in Monasteriis : « Ex hoc Virorum Ordine multi Pastorum ac Vice-Pastorum titulo Paroecias regunt, aut alias curam animarum habent, et munere suo funguntur recte ac strenue. Sunt autem plerique e Abbatiis S. Michaelis Antwerpiae et Tungerloensi, ex Averbodiensi quoque, quae omnes Praemonstratenses sunt. Non pauci etiam ex illa S. Bernardi ad Scaldim, quae est Ordinis Cisterciensis. — Extra Monasteria rari degunt Monachi sive Canonici regulares, exceptis iis quos dixi, qui Paroecias aut Moniales regunt, aut qui Monasteriorum fundis, praediis, bonis, regundis praesunt, quibus aliquando unus aut alter senex cohabitat, aut Pastor emeritus. De caetero nullas habeo in Dioecesi mea quae sic vocantur, grancias. Quod a Praelatis aut Superioribus ejectos attinet, novi neminem ; nisi quod e Grimbergensi Praemonstratensium familia (quae Dioecesis Mechliniensis est) unus in Herendaliensi FF. Eremitarum Ordinis S. Augustini Monasterio ab Abbate suo collocatus et commendatus sit, nescio quem veterem labem expians. Caeteros qui extra Monasterium delinquerent, hucusque inveni nullos ».

In Capite, quod tractat de Monialibus a Jurisdictione Episcopi exemptis, notat Episcopus : « Harum Monialium confessarii, nequidquam repugnante Bulla *Inscrutabili*, ab Episcopo non approbantur ; et profecto ingratum accederet, si hunc sive usum sive abusum resecare in animum inducerem ; nimium enim invaluit, viresque sumsit, non in mea tantum sed et in aliis Belgii dioecesebus. Ingratius etiam foret, et indubie repulsam ferrem, si rationem administrationis bonorum, quae ad Monasteria pertinent, ab ipsis repeterem. Praeterea nunquam id a Decessoribus meis tentatum repperi. De caetero, non haec hodie admodum curanda sunt, jam enim aetati nostrae creditur imminere tempus, quo in Belgio nulla aut pauca admodum supererunt Monasteria seu virorum, seu faeminarum ; quod Eminentissimis Patribus notius credo, quam ut multis rationibus id ostendere mihi necesse est ».

Tandem sermo fit in hac relatione Episcopi Antverpiensis de parte dioecesis Sylvaeducensis, quae, eo quod subjecta remanserat ditioni Austriacae, a Sede Apostolica regenda transmissa erat Episcopo Antverpiensi. Scribit in hac parte de Abbatiis Tongerloensi et Postellensi his verbis : « Tungerloo, celebris et perampla Ord. Praemonstratensis abbatia, quae quaquaversum, et ad ipsam Romam usque, alumnos suos mittit, hoc Sylvaeducensi tractu comprehenditur

et duos vicos Monasterio contiguas, Tungerloo et Oevel, nullius Dioecesis esse contendit. Quod quo autore vel titulo fiat (nisi longam forte consuetudinem et possessionem pro titulo habeamus) mihi hucusque non satis liquet. Aliam Abbatiam ejusdem ordinis in eodem tractu reperire est nomine Postellam; quae et ipsa, quemadmodum Tungerloo, a regulari disciplina, pietate et doctrina inhabitantium plurimum commendanda est. Verum bonis Monasterii Foederatorum Ordinum fisco addictis, Religiosorum numerus, Templum. Domus, omnia mediocria ».

J. B. VALVEKENS, o. Praem.

Ergänzende Bemerkungen zu den beiden Steinfelder Mitgliederalben in Averbode und Steinfeld.

Beim Studium der beiden Steinfelder Mitgliederalben — das eine ist in der belgischen Norbertinerabtei Averbode ¹⁾, das andere im heutigen Hermann-Josef-Kolleg Steinfeld ²⁾ aufbewahrt — bemerkt man ein Ausbleiben der Mitteilungen über das Wirken Steinfelder Chorherren in Sistig, einem Ort unweit der ehemaligen Abtei, in den Jahren 1681 bis 1683. Die Kapelle zu Sistig war seit dem Anfang des 13. Jahrhunderts Filiale von Steinfeld ³⁾.

In dem handgeschriebenen Predigtenbuch ⁴⁾ eines sich nicht nennenden Steinfelder Prämonstratensers aus dem 17. Jahrhundert findet sich folgende Notiz: « Anno 1682 dixi in Sistig... ».

Aus den Aufzeichnungen im Sistiger Pfarrarchiv, die wohl von Steinfelder Chorherren niedergelegt wurden, ist ersichtlich, dass der Prämonstratenser « Jakob Badenhewer » aus der benachbarten

¹⁾ Gedruckt in den *Annalen des Historischen Vereins für den Niederrhein* (AHVN) VIII, 1860, S. 120 ff, IX/X S. 182 ff, XI/XII S. 199, XIII/XIV S. 161 ff, bearbeitet von Pr. Braun.

²⁾ Siehe CLEMEN, *Kunstdenkmäler der Rheinprovinz* XI, 2 (Kreis Schleiden 1932) S. 516. — Freundliche Mitteilungen des hochw. Herrn Paters A. Savvazin S. D. S. aus Steinfeld.

³⁾ S. CLEMEN, *a. a. O.* S. 509.

⁴⁾ Das Buch in meinem Besitz ist von ein und derselben Hand geschrieben, nur mit zweierlei Tinte, seine Grösse beträgt 18×11 cm, Seitenzahl 328. Die Predigten bzw. Vorträge sind teils in deutscher, teils in lateinischer Sprache verfasst, numeriert und ihre Titel auf den ersten vier Seiten der Schrift aufgeführt.